

**Bobillier, Claude-Adrien - candidat /  
Le Maitre, Jean-Antoine - président. -  
De hydrocele ejusque speciebus  
variis**

**1786.**

***Paris : Typis Michaelis Lambert,  
Regii Chirurgiae Collegii  
necnon Academiae Typographi,  
viâ Cithareâ,***

***Cote : ms 2346, n°5***

*DE HYDROCELE*  
 EJUSQUE SPECIEBUS VARIIS.  
 DISSERTATIO  
 ANATOMICO - CHIRURGICA;


QUAM, DEO JUVANTE, & *Preside Magistro JOANNE-ANTONIO LE MAITRE, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur CLAUDIUS-ADRIANUS BOBILLIER, Vesuntinensis, præclara Facultatis Artium in almâ Universitate Parisiensi Magister, & magni Nosocomii Parisiensis Chirurgus nuper internus, Dissertationis auctor.*

*Die Sabbati 10<sup>a</sup> mensis Junii, anno R. S. H. 1786, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,*

PARISIIS,  
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.  
 PRO ACTU PUBLICO,  
 ET  
 MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cytharæâ.



M. DCC. LXXXVI.



DE HYDROCELE  
EJUSQUE SPECIEBUS VARIIS  
DISSERTATIO  
ANATOMICO-CHIRURGICA;

GOAK, HAO TONKIE, & PELLE...  
ANTONIO DE ALARON, ANTON...  
MAGISTER LAUREA

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS  
PRO ACTU PUBLICO

PARISIIS  
MAGISTER LAUREA

THE NICHOLAS LAMBERT, 24th Chicago  
College, necnon Anatomia Typographi, et Cetera

M. DCC. LXXXVI.



*DE HYDROCELE*  
EJUSQUE SPECIEBUS VARIIS.  
DISSERTATIO  
ANATOMICO-CHIRURGICA.

**E**x variis corpus humanum afficientibus morbis, molestiores non reperias, quàm qui in genitalia ingruentes, eaque nobili suâ facultate orbantes, hominem luctus inter ac tædia vitam odiosam degere cogunt, nî amica, nî benefica & reparatrix Chirurgia citò in auxilium properet.

Inter plurimos Hydrocelem, ut potè frequentissimam, in nostro programmate tractandam feligimus, adhibitâ priùs, ad rei intelligentiam, brevi partium expositione Anatomicâ.

*EX ANATOMIA.*

TESTES seu testiculi, & à Græcis didymi, seu gemelli, eo

A ij

quòd, ut plurimùm, sint numero bini, corpora sunt glandulosa, vasis innumeris & omnis generis, multo textu cellulari intersectis, instructa. Funiculo spermatico appensi, extra ventrem infimum & infra pubem, in communi Naturæ ordine, matris inclusuntur. Ut plurimùm ex consulto diximus; huic enim unum si Natura testem concessit, tribus ille gaudet exindè salacior. Similiter haud rarò evenit ut, intra annulos, imò in ipso ventre coerceantur. Adulorum testes, ovi columbini aut gallinacei minutissimi, ex utroque latere complanati, volumen figuramque æmulantur. Duo limbi, alter antero-inferior, & postero-superior alter; duæque extremitates, quarum una superius sita, altera inferius, inibi conspici possunt.

Testiculo cuique annotandum venit corpus quoddam adnatum, parastata & epididymus dictum, vermiforme, secundum longitudinem limbi posterioris testiculi decumbens, capite & caudâ donatum, septem ductuum efferentium coagmento conflatum, in unamque canalem, nomine deferentem, dehiscens. Canalis ille deferens unâ cum vasis tum sanguiferis, tum lymphaticis, sicut & nervis, funiculum constituit spermaticum, à testiculo ad anulum usque protensum, tunicâque cellulari vaginali dictâ involutum: ita tamen, ut nullum intersit vacuum, sed prædicta tunica vasibus adhæreat, eaque alterum cum altero, folliculis immixtis, annectat.

Suus est unicuique testi sacculus, alter etiam utrique communis: aut, si velis, testium involucria in communia & propria distingui solent. Plura licet communia Scriptores admiserint, unum commune merito dicendum est; nempe scrotum. Hoc nomine vocant partem illam rugosam, epidermide superiectam, glandulis sebaceis & bulbis piliferis munitam, lineâ longitudinali, futuræ modo, bipartitam, & pro cutis processu habendam. Id tantum discriminis habet, quòd universali cute sit tenuior, & majori vasorum numero intertexta. Facies ejus

interna textu cellulari, pinguedine semper destituta, munita est.

Primum, inter propria venit dartos ex panniculo carnosissimo conflatum, septo medio biloculatum, originem aponevroticam ex utroque ramo pubis inferiori ducens, & circumvolutis testibus duplicaturâ suâ septum supradictum efformans. Scrotum corrugare (a) ejusque capacitatem imminuere videtur.

Secundum occurrit, sub erythroïdes vel cremasteris nomine, muscularibus fibris constans, utrinque originem trahentibus ab inferiore parte muscoli obliqui minoris, & quandoque transversi. Fibræ illæ musculares anulum transgressæ, ad vaginalem tunicam descendunt, & ejusdem externæ faciei adhærentes, membranam colore rubram simulant. Testem suspensum tenet, sursumque attrahit cremaster, & impedit ne illius pondere funiculus divellatur.

Tertium vaginalis tunica nuncupatur, quia testem, epididymum & vasa tanquam in vaginâ continet. Ortum ducit à peritonæo, cujus pars progressusque meritò censetur; sicque ab illo prodit, ut scrotum à cute deducitur. Hæc membranacea testem circumvestit: spatium tamen vacuum in se ipsâ relinquens, non nisi in supero posteriori limbo cum illo cohæret; ità verò, ut ipsam suo recurso albugineam producere penè dicam, quemadmodum pericardium cordi membranam suppeditat. Externa ejus facies aspera, cremasteri dartoque, mediante cellulari textu, adhærescit; interna autem levis & sero madida videtur.

Quartum & testi magis proprium constituit albuginea tunica,

---

(a) Scripsit Regnerus de Graaf se hominem vidisse scrotum pro lubitu attrahentem. Ità si foret in omnibus, extrâ dubium esset darti naturam esse musculosam, quandoquidem soli muscoli voluntatis imperio submittantur.

dura, validaque admodum membrana, testis figuræ adamusim respondens; ipsi firmiter adjacens, & foliola plura immittens substantiæ vasculari interposita. Exteriùs levis, albicans, vasa spermatica recipit & ad testem transmittit.

Albugineæ tota superficies æquè ac vaginalis interna facies porulis perviæ sunt exiguis, ex quibus continuè lymphaticus humor exsudat; qui, statim resumptus, justam Naturæ legem sequitur; cumulus verò, Hydroceles speciem constituit.

Varia sunt vasa prædictas partes excurrentia; arteriæ nimirum & venæ sanguiferæ, vasa lymphatica & nervi.

Quæ ad testes pertinent arteriæ, spermaticæ dicuntur, originemque suam ab aortæ antero-inferiori parte, emulgentes inter & mesentericam inferiorem, ducunt. Spermatica quæque haud longè à testibus, in binos ramos dividitur, quorum alter testem ipsum, alter verò epididymum, albugineamque tunicam excurrit.

Testium involucris suppeditant epigastrica, umbilicalis, pudenda interna & cruralis. Epigastrica plures cremasteri & vaginali tunicæ ramos; umbilicalis unum canali deferenti dimittit. Ex pudendâ internâ oritur arteria perinæi, duos ex se emittens ramos, quorum alter ad scrotum, alter ad darton, imò & testem tendit. Ex variis à crurali ramis procedentibus, ramuli duo sub externarum pudendarum nomine ad scrotum pertinent.

Venæ arteriis sunt numerosiores. Spermaticæ ex utroque latere (simulato priùs pampinaceo corpore) dextra in cavam; sinistra verò in emulgentem, sanguinem evomunt. Quæ à scroto, aliisque tunicis cruorem deferunt, in hypogastricas, epigastricas, cruralesque & saphenas effundunt.

Vasa lymphatica ad inguinum glandulas tendunt.

Nervi à plexu renali, ab utroque mesenterico, necnon à lumbaribus originem trahunt.

## E X C H I R U R G I A .

Aquosum quemque tumorem, scroti cellulare textum, didymorumve membranas, aut funiculorum spermaticorum cellulares tunicas occupantem, Hydrocelem vocant.

Duplex distinguenda Hydroceles species: suffusa nempe & effusa; quarum prima iterum dividitur in illam quæ textum cellularem occupat funiculum spermaticum circumvallantem, atque in illam quæ in alio cellulari textu, marsupiorum structuram ingrediente, efformatur.

Similiter duplex consideranda Hydrocele effusa: aut enim in nativâ tunicæ vaginalis cavitate cumulatatur humor; aut in factitio kisto intrâ marsupiorum, funiculive spermatici substantiam cellularem excavato, colligitur. Nec subdivisiones nostræ quasi futiles & inutiles rejiciendæ, siquidem ad morbi essentiam pertinent, atque tum diagnostico, tum curationi profunt.

Hydroceles cause in externas & internas distingui solent. Pro externis habentur ictus, lapsus, violenti nisus & compressiones, quibus, debilitato partium tono, sanguis & lymphæ stagnare coguntur.

Numerosiores internæ sunt humorum vitia, varia sanguinis & lymphæ à genitalibus recursum impedimenta, obstructiones viscerum abdominalium, scirrhusi tumores vasa spermatica funiculumve circumfusi, ascites & leucophlegmatia, congenitales Herniæ, aut quarum sacculus adhesionis causâ non reductus fuerit, uretræ canalis rimulæ, morbi qualescumque didymorum membranas & eosmet ipsos ingruentes, vaginalis aucta fluidi secretio, vel impedita ejusdem resorptio.

Sua quæque Hydroceles species habet signa quibus dignosci potest.

In Hydrocele suffusâ, cellularem funiculi textum occupante,



funiculus, aquâ perfusus, tumorem exhibet pyramidatum, in inferiori parte latiore, necnon à teste, versus & quandoque ultrâ annulum, extensum. Epiplocelen simulat; taxi verò, etiam iteratâ, nusquam repelli potest. Id peculiare tumor habet, quod, si digito fortiter comprimatur, infixam depressionem aliquandiu retineat. Levis dolor adest, nec in teste, sed in lumbis, sensibilis. Sanus è contrâ testis apparet, tactui facile percipiendus. Scrotum infiltrationis æque particeps, è latere affecto demissius videtur.

Secunda Hydroceles suffusæ species toti scroto communis est, & aqua per omnem substantiam cellularem, utrumque didymum cumvallantem, pervagatur. Sub duplici respectu morbus considerandus est: & quidem in principio infiltratio mediocris est, intumescenciaque levis; cutis mollis, colore non alterato nec rugis delectis, pulti modo impressionem digiti retinet. Scrotum hinc & illinc æquè tumefactum, rimâ longitudinali in loco raphe respondente, bipartitum videtur. Funiculus autem sanus admodum digito pertingitur. In secundo morbi gradu, sero magis ac magis pervagato, tumoreque ingravescente, cutis ultrâ modum tensa, levior, lucefcensque & frigida, digiti impressionem non retinet. Penis infiltrationis particeps & mirum in modum tumefactus, tortilem fingit columnam.

Ex obstructione, rupturâve lymphatici cujusdam vasis, exiguus interdum oritur tumor, in principio varici aut potius hydatidi haud absimilis, & punctum quoddam funiculi spermatici occupans. Serum hunc tumorem generans non intrâ lamellas cellulares diffunditur, verum in unâ cavitate colligitur, unove sacculo cujus parietes è textu cellulari extruuntur, quasi tumores alii cystide obducti. Fluidum illud extrâ vasa effusum, sensim ac sensim congestum, vi suâ premente cellularia folliola aliud super aliud apponit, sicque cystidatam procreat Hydrocelem, nunc oliyam, nunc ovum gallinæ, mole suâ adæquantem.

Tensa

3

Tensa nimis, & plenè circumscripta, neque fluctuationis motum; neque doloris sensum excitat, nisi cum ad immodicam extensionem pervenerit. Modò simplex, modò duplex, & lineâ transversali bipartita, undique æqualis, & vesicæ speciem referens aquâ repletæ, rarò ultrà annulum progreditur, & nusquam infrà epididymum sese extendit. Substiti testis & epididymus sani & morbo expertes videntur.

Quandòque evenit ut aquosa colluvies è cavo abdominis in peritonæi processum, herniæ reductæ olim sacculum, defluxa, hydrocelen procreet peculiaribus signis à præcedenti distinctam. Hæc enim licèt eundem locum occupet, in eo differt, quòd tensa minùs, flaccida & fluctuans videatur, digitis compressa in abdomen compelli possit, indèque ægro diutiùs decumbente evanescat.

Quemadmodùm in textu cellulari funiculum ambiente cystidata nascitur hydrocele, sic & similis occurrit nobis in eodem textu marsupiorum efformata, quæ ab omni hydroceles specie eo differebat, quòd testis supersitus & summè mobilis tactu facillimè fecerneretur. Tumor absolutè circumscriptus erat & globosior quàm in quâvis hydrocele, necnon marsupiorum affecta pars pendula magis quàm alia. *Insuper, aquâ sectione evacuatâ, testem in cystide non contineri clariùs apparuit. Istius modi hydrocelen descripsisse videtur Fallopius dicens: Alia in quâ continetur aqua in membranâ adnatâ & in proprio folliculo. Cognoscitur aquam esse in tunica adnatâ, quia separatur testis à parte aquosâ manibus. Præterè ista hernia propriam habebit circumscriptionem, &c.*

Uti jam suprâ dictum est, ex quibuscumque punctis tunicarum vaginalis & albuginæ continuò rorat humor lymphaticus; testem lubricaturus, & utriusque membranæ cohærentiam impediturus. Qui humor ultrà modum secretus, aut, præter ordinem, non resumptus colligitur, atque unà cum teste circumscriptum conficit tumorem, plùs minùsve renitentem & ponderosum, vix

B

pellucidum , colorem cutis non mutantem , scrotum expandentem , nec idèdò rugas illius diripientem .

Hujusce tumoris figura volumenque & alia phænomena pro morbi temporibus , fluidi naturâ , congestionis modo , testis & membranarum statu sunt varia . Etenim in principio rotundus , crescendo ovi aut piri formam excipit , cujus extremitas minor superiùs , & major inferiùs est posita . Nunc lentè , nunc rapidè crescit , idèdòque indolescit vel non . Fluidum modò limpidum , modò subflavum , subviride , purulentum , sanguineum aut fuscum , vel tenui , vel crasso & duro sacculo continetur ; undè luciditas aut opacitas deducenda . Humoris quantitas , vel major vel minor , fluctuationem sensibilem aut obscuram efficit , & quandoque nullam : ità ut morbus pro sarcocèle , etiam ab expertissimis , habitus fuerit . Quem errorem fugies , si tumorem ex omni parte attentè exploraveris ; hunc enim in loco superiori , ob situm testiculi , duriorem quàm in quovis alio reperies .

Haud rarò evenit ut morbus ille è sarcocèle procedat , & cum illà conjungatur : quod quidem complexionis genus facili negotio dignosci potest , si testiculi & funiculi status sedulò perpendatur ; tum enim testiculus majori volumine & pondere , duritiè necnon asperitate notandus ; funiculus acerbâ & nodosâ tumefactione , scirrhosâque duritiè afficitur . Observare interest nonnunquam evenire à diuturniore testis immersione in aquis , ut substantia ejusdem sero penetrata & relaxata ad molem majorem perducatur . Absit ut statum hunc pro scirrho habeas ; præsertim si nulla sit alteratio vel in formâ , vel in consistentiâ : curatâ enim Hydrocèle testis , sponte suâ , plerumque in se ipsum revertitur , assuetoque munere iterùm fungitur .

A causâ , sede , specie , tempore , ætate & complexionibus Hydroceles deducenda prognosis .

Sic & varia instituenda curandi methodus .

Suffusa funiculi spermatici Hydrocele, aut incisione longitudinali, aut setaceo facilè curatur. Si cellularis textus, crassus nimium & induratus, humore quodam concreto vel glutinoso sit infartus; satius est, sectione longitudinali priùs divisâ cute, eundem textum undèquaque scarificare, & ejusdem exfoliationem, expurgationemque suppurantibus promovere. Cùm verò suffusus humor è cellulâ in cellulam emergere valet, setaceum præferendum; illudque instituendum acu planâ & curvâ, cujus latitudo ea sit quæ permultas unâ vice cellulas dirumpat. Tùm setaceo balsamo sulphuris illinito, aliisve detergentibus curatio perficiatur.

Quæ scrotum invadit hujusmodi Hydrocele, vel idiopaticam vel symptomaticam, scilicet anasarçâ aut ascite productam, videas: nec certam in ultimo casu curam obtinebis, nisi priùs essentialem morbum debellaveris. Tempora duo distinximus quæ medicaminum naturam & usum regunt. Sic initio, & præsertim in infantibus, astringentibus discutientiisve topicis utare; v. gr. spleniis vel spongiâ decocto rosarum rubrarum cum vino rubro calido imbutis, vel aquâ calcis simplici, aut cum aquâ vitæ commixtâ, aut spiritu vini camphorato acutâ; prædicatur cataplasma è pororum capitibus cum vino albo decoctis. In statu secundo, cùm morbus increverit, prædictaque inutilia fuerint remedia, tùm cuti leves factitandæ sunt scarificationes. Verùm si altiùs recondita remaneat morbi causa, ad illam attendendum est.

Quæcumque sit Hydrocele cystidata, qualemcumque locum occupet, eadem est curandi norma; dividatur nempe & secutè sacculus incisione longitudinali: hoc enim in casu non eadem metuenda sunt incommoda, nec accidentia quæ in vaginali. In cavo sacculi primum intromittatur linamentum, & subindè plumaceoli medicamentis suppurativis inuncti.

B ij

Vaginalis Hydroceles cura in palliativam & radicalem distinguitur.

Prior ad ægotantis levamen solummodò conducit ; & in eo consistit , ut acutriquetrâ , canaliculo instructâ , emittantur aquæ , quotiescumque earum moles , pendusque ægro sunt molesta. Quo institui debeat describere modum non est animus ; hunc namque fusiùs exposuerunt operationum Scriptores : dicere sufficiat id commodi habere curam istam , quòd neque tempora , neque dispositiones requirat ; nec ulla plerumque accidentia consequantur.

Eò tendit radicalis , ut morbus penitùs eradicetur. Hæc licèt accidentia secum trahat , nihilominùs in circumstantiis quibusdam necessario admittenda : v. g. cùm tumor ad nimium extensionis gradum pervenerit , cruciatusque nimios excitet ; vel materiem sanguineam , purulentam aut fetiosam in se includat ; vel prorsùs è morbo expediri maluerit ager. Media septem ad illam prosequendam adhibita fuerunt : nempe incisio , cauterium , excisio , turunda , siphon , injectio & fetaceum. Quæ si attentè perpendas , duabus classibus comprehendere non dubitabis ; & quidem vel in sacculi extirpatione , interituve consistunt , ut cauterium & excisio ; vel tunicæ vaginalis sacculum constituentis agglutinationi & adherentiæ cum albugineâ favent , uti fetaceum , injectiones , &c. Illa quæque media describere supervacaneum foret , cùm plurima illorum è praxi submota fuerint : singula enim , licèt variis in casibus curationes operata sint , eorum maxima pars metam frequentius non affecta est ; quinimò gravioribus accidentibus ansam præbuit. Est igitur inter illa delectus , morbi circumstantiis statibusque variis , necnon ægri constitutione & partium affectionibus submittendus. Sic in vanum adhiberes quæ vim suam ex irritatione ducunt , si tunica vaginalis ultrà modum distensa , crassa

& indurata, in seipsam revocari non posset. Undè, pro variâ partium dispositione, nunc alio, nunc altero utendum.

Nullum sanè faustioribus, numerosioribusque successibus insignitum magis quàm setaceum; quod quidem frequentissimo majoribus in usu fuit, è praxi verò quasi desertum, à celeberrimo tandem Chirurgo D. Pott restauratum, & innumeris experimentis comprobatum est. Hanc itaque methodum præ cæteris ferendam autumamus, & sequenti modo instituendam.

Primò, si major sit aquarum congeries, & sacculus ultrà modum distensus, maximi est momenti D. D. Bertrandi & Pott obsequi consiliis, idèdque, præviâ semel aut iterùm punctione (1), aquarum partem evacuare, neque radicalem curam aggredi, nisi cùm de novo, sed quantitate minori, congestæ fuerint. Tùm acutriquetrâ & canaliculo quatuor vel quinque pollicibus longis, tumor in parte suâ infimâ & anticâ, solitis cautionibus servatis, pertundatur. Retrahatur acutriquetra, & aquis eductis, canaliculus ad partem sacci superiorem propellatur. Denuò intrōmittatur acutriquetra, cujus ope ab interiori ad exterius perforantur tegumenta, & ope styli per canaliculum immittatur sericum setaceum, cujus extremitates unâ connectantur. Utramque punctiōnem cum scalpello dilatare, haud inutile est, ut suppuratiōni, si qua intervenerit, libera detur via. Punctiōnibus emplastrum plumaceolusve imponatur. Setaceum partibus adherere non cessat, ipsumque extrahere abstineas, nisi, resolutâ priùs inflammatione, mobile admodum sit. Hanc curandi methodum gravia rarò sequuntur accidentia; ve-

---

(1) Quæcumque sit operandi methodus, præviâ punctiō maximam habet utilitatem. Enim verò 1.º impedit ne scrotum subitâ depletione subsidat, adeoque siderationem amovet. 2.º Testem explorandi facilitatem præbet. 3.º Vaginalem tunicam in seipsam reverti alluefacit.

tum si qua supervenerint, plus minusve mittendus est sanguis pro illorum intensitate, ægri viribus & temperamento; tenuis, diluens, sedansque victus ægro præscribatur, fusa sit alvus; marsupia fotis emollientibus foveantur, aut ejusdem naturæ cataplasmatibus obtegantur, sursùmque suspensorio teneantur. Lecto detineatur æger donec inflammatoria symptomata evanescant, & postea decubitorio decubare liceat usque ad curationem perfectam, quæ tribus plerumque hebdomadis absolvitur.

Fatendum quidem plures occurrere casus in quibus in vanum tentaretur hic operandi modus; nempe cum vaginalis tunica duritiem & crassitiem tantam usurpaverit, ut, amisâ vi elasticâ, in seipsam reverti, & cum albugineâ adherere nequeat; aut fluidi natura exitum faciliorem saccoque deterisionem requirat; si demùm testiculus scirrhus afficiatur. Tum ad excisionem, & pro re natâ, ad castrationem recurrendum.

De modo quo celebrari debeat excisio non convenit inter Scriptores (1). Alii sectione longitudinali divisâ cute, intactum facculum digitis dilaceratum & è scroto diductum, ex toto; alii (2) contrâ, ex parte tantùm refecandum esse contendunt. Nos verò recidivam Hydrocelem metuentes, prioribus assentimur, eorumque consiliis & experientiæ obsequimur. Est autem in incisione præviâ cautio quædam adhibenda, ne testiculus extûs promineat; nimia nempe non sit ejusdem longitudo; quam si æquis legibus instituere velis, non ultrâ bis tertiam tumoris partem mediam extende, ita ut alia pars bipartita superiùs & inferiùs intacta remaneat.

(1) Nam si non exquisitè perferuteris in incisione, non sit securitas quin aqua redeat. *Albucafs.*

Optima hosce morbos curandi, in evacuatione humoris & ablatione sacco posita est. *Bertrandi, Mém. de l'Acad. de Chirurg.*

(2) *Traité de l'Hydrocèle par M. Imbert de Lonnes.*

Si testiculus scirrho vel putredine affectus videatur, quod quidem sedulò perpendendum, citò ille refecandus est: ei parcere turpe esset, æquè ac differre in tempus quo accidentia graviora extirpationem imperantia exitum per dubium prænuntiant. Cavendum tamen ne testiculi durities à lue venereâ pendear. Tùm enim ab omni curâ abstinendum, nisi specifica priùs tentata fuerint.





17  
In testibus Latinis vel purioribus affectibus videtur, quod  
quidem febris perpendendum, eius illi telestibus est: si per-  
one tunc est, sed ad hunc in tempore quo accidunt  
periculis experientiam imperat, etiam periculis per-  
tinet. Cavendum tamen ne testibus dantes & hoc venes per-  
tinet. Tunc tamen ad omni cura adhibendum, illi speciosa sunt  
tanta laetitia.



[The remainder of the page contains extremely faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the document.]